



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CCXLI. Der Brandenburger und der Havelberger Bischof errichten ein Trutz- und Schutzbündniß auf fünf Jahre, am 6. Oct. 1349.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

CCXL. Ein gewisser Konrad Rauen und dessen Sohn vereignen dem Domcapitel eine jährliche Getreiderente im Dorfe Barnewitz, am 12. März 1348.

Nos Conradus senior et Conradus junior, dicti Rauen, vobis honorabili viro domino Thyderico, preposito ecclesie Brandenburgensis, et ecclesie vestre, quibus bone memorie dominus Woldemarus, olim marchio Brandenburgensis, vendidit et tradidit villam Bornewitz, in qua progenitores nostri et nos in pheudum habuimus unum chorum siliginis, Nicolaum de Brandenburg, qui dictum unum chorum siliginis a nobis actenus in pheudum tenuit, vobis et ad vos liberaliter remittimus ad accipiendum et tenendum a vobis in pheudum siliginem ante dictum, pro nobis et nostris heredibus renunciantes ad usum ecclesie vestre omni juri, quod nobis et nostris successoribus competere poterit futuris temporibus in redditibus siliginis antedicti, quod sub apensione nostrorum sigillorum protestamur. Actum et datum Lokenitz, in die beati Gregorii pape anno domini M^o. CCC^o. XLVIII^o.

Nach dem Originale.

CCXLI. Der Brandenburger und der Havelberger Bischof errichten ein Trutz- und Schutzbündniß auf fünf Jahre, am 6. Oct. 1349.

In nomine domini. Amen. Thydericus Brandenburgensis, Borchardus Havelbergensis dei gratia ecclesiarum episcopi, universis et singulis, quorum interest aut quibus nosse fuerit oportunum, salutem et notitiam subscriptorum illibatam. Quia nonnulli ecclesiastici et mundani principes et quam plures alii, temporale dominium vel potestatis gerentes officium secularis, contra libertatem et emunitatem a canonis sacris et legibus indultam nostras matrices et alias nobis subditas ecclesias et earum bona spoliunt, distrahant et diripiunt et interdum incendunt, eisdem tallias, collectas seu angarias indebitas imponunt, jura, jurisdictiones, vasallos, fundos, decimas ac alios redditus ab olim incorporatos usurpant et occupant aut usurpantibus sive occupantibus occasionem prestant in sacerdotes et in ceteros clericos manus temere violentas injiciunt, sine mandato nostro capiunt et demum propria temeritate eosdem dure ad instar furum ligatos in clericalis dignitatis maculam ad nostram presentiam pertrahunt, canonem late sententie per hujusmodi presentationem subdolan evadere curiose pretendentes; sunt etiam plerique, qui nostram jurisdictionem et potestatem ordinariam contra jus scriptum elidunt et enervant et plura alia attemptant, que in nostram et subditorum nostrorum et ecclesiarum nostrarum detrimentum vergere non modicum dinoscuntur. Ob quam rem cum generaliter propter malum statum terrarum et specialiter propter gwerras publicas, inter principes jam aliquamdiu in marchia circumquaque motas et actu perdurantes, a prefatis violentiis et ausibus illicitis sine mutuo defensionis presidio nequeamus, quod dolentè referimus, quomodolibet relevari, societatem ac unionem ad mutuo defendendum nos et nostros et eorum jura cum debita statutorum provincialium observantia ac alias in judicio et extra, ordinaria seu delegata, ubi, quando et quotiens necesse fuerit, contra quascunque personas ecclesiasticas et mundanas cujuscunque preeminencia status presulgeant, domini nostri pape et nostri superioris, sicut decet, auctoritate duntaxat excepta, inter nos de necessitate facere compellimur realiter et inire, cum revera unita virtus in se fortior est dispersa. Nos igitur Thydericus Brandenburgensis et Borchardus Havelbergensis episcopi supradicti, societatem et unionem, ut premititur,

cum debita statutorum provincialium observantia et alias utpote subscribitur, ad mutuo defendendum nos et nostros subditos nostra et eorum quelibet jura spiritualia et temporalia, quantum poterimus, in iudicio ordinario vel delegato, et extra, ubi, quotiens et quando fuerit oportunitas, de nostrorum utrorumque consiliariorum expresso consensu, modo et forma, quibus de jure melius fieri potest et debet, facimus et inimus ac efficaciter ordinamus in hiis scriptis per annos quinque continuo assuturos duraturam, sub hac tamen specificatione, si nostrum quempiam in episcopatu suo adversarium a Romana curia, quod deus avertat, habere aut nobis nostrisque subditis communiter et divisim gravamina vel injurias comminari aut inferri a quopiam contingeret, que merito defensionem requirerent efficacem, cum integrum sit iudicium, quod plurimorum sententiis confirmatur, nostri utrobique consilarii convenient de appellationibus ceterisque remediis ad hoc convenientibus finaliter tractaturi, quibus debite pertractatis appellationum prosecutioni et injuriarum nostrarum quarumlibet repulsioni sub pari et equali expensarum contributione unanimiter ad exitum insistemus. Debet etiam alter alteri, quotiens et quando necesse fuerit, cum duodecim armatis viris lanceatis subvenire et qui eisdem receperit, preconsiderato equorum et armorum valore expensas, lucrum et dampnum, prout solitum est, supportabit. Ceterum astringimus nos bona fide et presentibus promittimus, quod hinc inde societatem ac unionem antedictam per nos in omnibus et singulis suis capitulis et articulis per dictos quinque annos gratam et ratam sine quovis contradictionis obstaculo volumus et debemus firmiter observare. Renunciamus insuper in factum actioni non sic rei geste, doli mali exceptionibus et generaliter omni auxilio juris canonici et civilis, per que premissa aut premissorum quodlibet possit aliquatenus infirmari. In quorum omnium testimonium sigilla nostra presentibus sunt appensa. Datum Wyzstoeck, anno domini M^o. CCC^o. XL^o. nono, mensis Octobris die sexta.

Nach dem Originale.

CCXLII. Der Bischof Dietrich verbietet, mit Uebergehung eines untern Richters zu dem höhern sich zu wenden, gegen seine Vorgesetzte zu conspiriren und dergleichen, am 9. Jan. 1350.

Thidericus, dei gratia Brandenburgensis ecclesie episcopus, dilecto sibi in Christo preposito, priori ac universis et singulis nostre ecclesie Brandenburgensis canonicis, etiam in scolis degentibus salutem et subscriptorum observantiam illibatam. Autoritate ordinaria, sicut sacri canones prohibent, ita districte prohibemus, ne aliqui de cetero, suo iudice immediato spreto ac contempto, ad iudicem superiorem, nisi in casu, ubi hoc a jure conceditur, quovis modo recurrat pro aliquibus querelis offerendis; item ne aliqui conspirationes contra suam superiorem facere aut inire claudesine vel aperte quomodolibet attemptent aut inter fratres dissensiones vel discordias fuscitare; et ne aliquis alium incitet, inducat aut foveat, ne poenitentiam sibi indictam perficiet, quousque sui superioris benignitatem eatenus assequatur. Verum cum premissa omnia et singula sint a jure damnata, vos omnes et singulos in premittis de premissorum quolibet clam vel aperte delinquentes aut qui sic delinquentibus opem, operam, consilium vel auxilium prestare presumpserint, et quoslibet notorie inobedientes majoris execrationis sententia in nomine domini innodamus in his scriptis, nobis aut preposito absolutionem reservantes. Datum Seyesere, anno domini M. CCC. L. XI die mensis Januarii.

Nach der Copie im Ältern Copialbuche.